Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25997
Copyright: Admont, Benediktinerstift



et patres nos multarum uirtutum esse concedat que sunt arma
milicie spiritalis. Abraha autem genuit isaac. Isaac gaudium
interpretatur. Bene et iam pater omnium credentium xpi. gau
dium omnium suorum effectus est populorum. quia in natiuitate
eius angelus pastoribus locutus est dicens. Ecce euangelizo uobis
gaudium magnum. quod erit omni populo. Ita et nos per multi
plicationem in perseuerantia bonorum operum gaudium nobis
uite eterne. cum sanctis angelis preparare debemus. et in eodem
nos semper gaudio manere. ut apostolus admonet dicens. Gau
dete in domino semper iterum dico gaudete. ut subaudiatur ita
nos de xpi natiuitate passione et resurrectione atque in
celos ascensione gaudere oportet ut ad gaudia eterna
mereamur peruenire. Isaac autem genuit iacob. Iacob supplan
tator interpretatur. Postquam uero xpc natiuitatis sue gaudia
mundo concessit. diabolum et iam humani generis uasta
torem sua passione supplantauit atque contriuit. et uasa
eius diripuit. Ita et nos post gaudium secundum natiuitatis nostre
idem per perceptionem remissionis omnium peccatorum in baptis
mo. supplantatores esse necesse est omnium uitiorum et carna
lium delectationum. et diaboli in nobis supplantare temp
tamenta eiusque fraudes et insidias omnino cauere quantumcumque
possumus dei gratia largiente. Iacob autem genuit iudam. Iu
das interpretatur confessio. Confessio non semper ad penitentiam
pertinet. sed aliquando ad dei laudem uel gratiarum actio
nem. Bene itaque xpc supplantatis diaboli temptamentis.
confessionem idem laudem obtulit deo patri. ut ibi. confite
or tibi pater celi et terre. quod ad laudem pertinet. Nos quoque
dum auxiliante misericordia domini saluatoris nostri, aliquan
tulum uitiorum ut carnalium delectationum in nobis met ipsis

nanq;

dne